

tionem obtineret. Insuper in gravi necessitate licebit uti vino quod notabiliter quidem acescat, sed tamen certo vinum permaneat. (1)

6° Graviter illicita esset consecratio in *vino congelato*, ob irreverentiam sacramento illatam. Eadem invalidam esse plures AA. opinati sunt; sed horum sententiam nulla solida probabilitate pollere, merito existimat S. Alph. (l. c.), eo quod ipsa Rubrica Missalis (de defect. X) manifeste supponit sub specie vini congelati manere Sanguinem Dñi: "Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis etc."

7° Licet celebrare Missam cum vino facto *ex uvis passis*, dummodo liquor extractus colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum. (S. Inqu. 22 Jul. 1706 et 7 Maii 1879; Coll. P. F. nn. 697 et 705) Ratio autem conficiendi hujusmodi vini, prout in quibusdam missionibus adhibetur, haec est: tunduntur in apto vase quaedam librae uvarum passarum, superinfunduntur totidem librae aquae frigidae; postquam per horas summum decem servatae fuere uvae in hac aquae infusione, extrahuntur, aqua exteriori purgantur et torculari premuntur. Cfr. Zitelli, App. Jur. Eccl. p. 317. Hujusmodi vinum ubique licite adhiberi cum Lehm. (II. n. 118) existimamus, quia neque e rei natura, neque e cit. responsis erui potest ejus usum restringi ad casum necessitatis.

8° Ad judicandum de licetate multarum *mixtureum* quibus hodie vinum paratur, juvat prae oculis habere decisiones recentiores S. Inquisitionis. Haec S. Congregatio 30 Julii 1890 (Coll. P. F. n. 706) respondit nihil obstare quominus in Missae sacrificio adhibeatur vinum album cui miscenda sit aliqua quantitas spiritus vini (alcohol), dummodo serventur sequentes condiciones:

a) Ut spiritus extractus fuerit e genimine vitis. (2)

b) Ut quantitas alcoolica addita, una cum ea quam vinum de quo agitur naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim percentum. Attamen quandoque contingit vina post primam fermentationem jam duodecim vis alcoolicae gradus superare et tamen, ut sine periculo acescentiae ad exterarum nationes exportentur, necessarium esse ut decem et octo alcoolicae vis gradibus polleant: ut de quibusdam Hispaniae vinis S. Inquisitioni exposuit Archiepiscopus Tarraconensis. In hoc casu licitum esse usum hujus vini ad Missam celebrandam, respondit S. Inqu. 5 Aug. 1896 (N. R. Th. t. 28. p. 662), a contraria decisione, quam eidem Archiepiscopo 15 Apr. 1891 dederat, recedens.

(1) Cavendum ne putatur acescere vinum quod iterata fermentatione laboret. Neque ullus scrupulus habendus, eo quod vinum sit turbidum: quod facilius in naturali quam in artefacto contingit. Cfr. von Olfers, op. cit., p. 200.

(2) Spiritum vini potius quam saccharum e canna saccharina addendum esse respondit S. Inqu. 5 Aug. 1896 (N. R. Th. t. 28. p. 660): profecto ne, absque necessitate, addantur quae non proveniant a vite.

c) Ut admixtio fiat quando vinum est valde recens; quod in cit. resp. S. Inqu. 5 Aug. 1896 explicatur his verbis: "quando fermentatio sic dicta *tumultuosa* defervescere inceperit." Scilicet ne vino jam prorsus confecto aliquid addatur quod imperfecte tantum eidem commisceatur.

Cavendum tamen ne tamquam dubia vel invalida materia habeatur quodcumque vinum, in quo conficiendo aliqua e praedictis condicionibus non fuerit servata: saepe enim defectus illi satis exigui erunt ut valor nulli periculo exponatur. (1)

172. VI. Vino consecrando admiscenda est in ipsa Missa **aqua modicissima**. (Conc. Flor. Decr. pro Arm.) Hoc praeceptum ab Ecclesia impositum est (Trid. Sess. 22. c. 7), ideoque ad valorem minime pertinet; sub gravi tamen obligat, eo quod ob rationes magni momenti a primis Ecclesiae saeculis servatum est.

Praecepto satisfit infundendo unam guttam, neque videtur excedere qui addat quantitatem aequivalentem tertiae parti vini consecrandi. Attamen, quando vinum debile est (ut saepe hodie contingit), praestat minorem partem addere ne vinum periculo corruptionis exponatur. Ubi parvum cochlear adhibetur ad aquam infundendam, ut fit in Belgio, vix timendus est excessus, nisi quis perexiguam vini quantitatem adhiberet.

§ 2. QUAE CONDICIONES AD MATERIAM CONSECRATIONIS REQUIRANTUR.

173. I. Ad validam consecrationem requiritur ut materia sit **physice praesens** sacerdoti consecranti, independenter a circumstantiis et ab omni alio nutu vel signo; unde a fortiori non sufficit praesentia intellectualis, qua tantum verbis vel mente praesens sistatur. Potissima ratio desumitur ex institutione Christi qui consecravit materiam praesentem, et non dedit potestatem Apostolis faciendi nisi quod ipse fecerat. Patet etiam e pronomine *hoc, hic* quo res praesens tantum demonstratur. (Lugo, de Euch. disp. 4. n. 121)

(1) Diligentissime cavendum ab innumeris et subtilissimis vini corruptionibus. Has saepe vel aegerrime, vel nullatenus detegere potest vir chemiae peritus. Nam, si vino artefacto non insunt nisi ea elementa quae in vino naturali reperiuntur, nequit analysi chemica detegi utrum ea a vite an aliunde originem trahant: quae quaestio in praesenti argumento solvenda est. Cfr. von Olfers, op. c. p. 199. Ideo vix alia via tuta manet quam ut vinum Eucharisticum ematur ab iis qui norint quaenam in eo conficiendo servanda sint et simul eximia probitate eniteant. Jam S. C. de P. F. Litt. Encycl. 10 Martii 1861 (Coll. n. 702) vigilantiam episcoporum in re tanti momenti acuit.

Sed non requiritur ut actualiter aliquo sensu percipiatur : nam cum veritate demonstrari potest ex. gr. vinum, a sacerdote caeco, qui istud adesse aliunde scit, nullatenus autem hic et nunc percipit. Immo talis actualis perceptio per se solam non sufficit, puta si quis videret panem una leuca distantem : hic enim nec physice praesens est, nec vere pronomine *hoc* demonstrari potest. (Lugo, ib. n. 122) Hinc :

1° Valide consecratur vinum in calice cooperto, vel hostiae in ciborio clauso : nam, juxta communem loquendi modum, sufficienter demonstratur contentum per rem quae ad id continendum destinatur.

2° Invalide consecratur materia post parietem vel a tergo posita : similiter valde procul distans. Quanta autem distantia valori non obsit, morali aestimationi relinquendum est.

3° Invalide consecratur materia tam modica ut sensu percipi nequeat : tum quia non potest demonstrari, tum quia sacramentum debet esse signum] sensibile. (Bus. ap. S. Alph. n. 213) Magna autem quantitas valori non obstat, dummodo sit tota consecranti praesens : unde S. Th. (3. p. 74. a. 2) validam reputat consecrationem quae fieret totius panis qui in foro venditur, vel totius vini quod est in dolio.

4° Probabilius valet consecratio hostiae quae sub corporali vel mappa lateat. Attamen, cum graves AA. ut Laymann (l. 5. tr. 4. c. 2. n. 10) id negent, practice talis hostia habenda esset ut dubie consecrata.

174. II. Ad]validam consecrationem insuper requiritur ut materia sit certa [et,] per intentionem consecrantis actualem vel virtuaalem, in individuo *determinata*, ex. gr. hic cumulus hostiarum, hae hostiae quas sacrista consecrandas apposuit. Ratio desumitur ex pronomine *hoc, hic*, quo vere designari nequit res indeterminata. Hinc :

1° Invalide consecraret qui vellet tantum consecrare tertiam vel mediam partem hostiarum quae in aliquo ciborio continentur, nullis in individuo] designatis.

2° Valide consecrantur duae hostiae invicem adhaerentes, licet sacerdos unam tantum adesse putet ; sic neque alius error de numero hostiarum, quae in ciborio vel corporali appositae fuerint, nocet valori consecrationis. Manet enim absoluta voluntas consecrandi omnes praesentes, quam, tamquam Ecclesiae consuetudini conformem, quisque censetur habere implicite. Quare si duas pro una consecravit sacerdos, utramque simul sumat. (Bus. ap. S. Alph. n. 216)

3° Valida est consecratio si plures hostias ad altare tulerit aut rationabili modo [adverterit ab alio adferri a se consecrandas, vel ante Missam monitus fuerit de consecrandis in altari jam positis, saltem si in corporali praesentes sint. Neque obstat quod earum expresse non meminerit dum consecrabat, vel ciborium tempore oblationis vel conse-

crationis non detexerit. Nam intentio praecedens respectu illarum virtualiter perseverat. (Bus. l. c.)

4° Probabilius valet consecratio, quando habita quidem fuit intentio consecrandi hostias in ciborio contentas, ex oblivione autem relinquitur ciborium extra corporale dum consecratio peragitur : nam par est ratio cum casu praecedente (3°). Attamen multi AA. quorum sententia visa est S. Alph. (n. 217) probabilior, censent eam esse invalidam : quia, cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, sacerdos nequit praesumi illam habuisse. Reapse haec ratio nullam vim habere videtur : nam " supponit generalem hanc doctrinam quod non possit in sacerdote praesumi intentio consecrandi si aliqua circumstantia, licet sacerdoti ignota, intercedat, quae, si ab eodem sacerdote nosceretur, ipsum deterreret a consecrando, ne illicite consecraret. ", (Ball. P. n. 60) Hoc autem a nemine admittitur, ut patet exemplo illius qui inscius consecraret vinum notabiliter acescens vel nulla aqua mixtum. Nihilominus, ob contrariam multorum AA. sententiam, hostiae hujusmodi habendae essent ut dubie consecratae.

5° Non consecrantur hostiae in seio sacerdote appositae : deest enim intentio quae in incognitum ferri nequit. Attamen consecrarentur, saltem eae quae in corporali positae sunt, si sacerdos eliciisset intentionem consecrandi omnes particulas in corporali positas (Bus. ap. S. Alph. n. 215 ; Ball. P. n. 55) : quae intentio utiliter, ob dubia praecavenda, semel pro semper elicitur.

6° Certe non consecrantur guttae vini exterius calici adhaerentes, cum id sacerdos non intendat. De guttis vero interius inhaerentibus, ubi sacerdos nihil peculiare intendit, Theol. disputant. Practice juvat extergere purificatorio guttas illas, ante calicis offertorium : quem morem magis congruentem et summopere laudabilem esse, declaravit S. C. R. 7 Sept. 1816. (Coll. S. R. n. 2572) Praeterea elici poterit semel pro semper intentio eas non consecrandi, uti nec micas hostiae adhaerentes. Sic certe consecrabitur tantum id quod est per modum unius continui. (Bus. l. c. n. 214)

175. III. Hostias dubie consecratas communicaturis distribuere vel adorandas proponere graviter illicitum est, ob periculum idolatriae materialis. Oportet igitur ut in alio Sacro iterum sub condicione consecrentur, vel a sacerdote ante purificationem et abluionem absumantur.

Graviter quoque peccaret qui, peracta Missae consecratione, iterum verba consecrationis, etiam condionate, super ciborium proferret : sic enim iteraret sacrificium et quidem sub una specie, quod Juri tum ecclesiastico, tum divino adversaretur. (n. 168)

IV. Quando consecratur in altari cui tantum inserta est petra sacra, oportet ut materia, dum consecratur, reposita sit in ista petra. (Bened. XIV, de Sac. Miss. sect. 2. n. 139) Sufficit tamen ut ciborium quoad majorem sui partem isti petrae innitatur: insuper, si petrae angustia (ut fit) non sinit hostiam et calicem una cum ciborio eidem imponere, licebit istud, post factam consecrationem, remove ut locus sit calici. (Lehmk. II. n. 124)

V. Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur sacerdoti paulo post factam oblationem, licet eas consecrare, suppleta mentaliter oblatione. Immo idem licet si afferantur incepto jam canone, quando plures secus sine communione remanerent. Quodsi unus tantum diu expectare deberet communionem (quae diurnitas valde relative pensanda est), praestaret huic dare partem majoris hostiae. (S. Alph. n. 217)

§ 3. DE FORMA EUCHARISTIAE.

176. I. Forma consecrandi panis constat his verbis: "*Hoc est enim corpus meum.*" In his verbis omnia sunt essentialia, excepto verbulo *enim*, cujus omissio probabiliter venialis tantum foret. Ad valorem autem formae non requiruntur verba, quae e praeepto Ecclesiae praemittenda sunt: "*Qui pridie* etc." Nam, licet istud asseruerit Scotus (in 4. d. 8. q. 2), quia necessaria sunt ut constet a sacerdote non proprium, sed Christi corpus intendi, ea tamen sententia nunc ab omnibus rejicitur (Lugo, de Euch. disp. 11. n. 39), utpote contraria Conc. Florentino (Decr. pro Arm.) et universae traditioni, quae constanter asserit hoc sacramentum confici *verbis Christi*, et non aliis, qualia sunt haec verba Evangelistae narrantis ultimam Coenam. Ceterum quando sacerdos, minister Christi consecratus, super aptam materiam pronuntiat verba Christi cum debita intentione, satis induit personam Christi ut hic intellegatur per eum dicere: hoc est corpus meum. (Ball. P. n. 71)

II. Forma consecrandi vini constat his verbis: "*Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*" Disputatur inter Theol. utrum sola verba: *Hic est calix sanguinis mei*, sint de substantia formae, an requirantur et sequentia. Haec requiri affirmat cum pluribus aliis S. Th. (3. q. 78. a. 3); negat sententia communior, eo quod ea verba, saltem partim, in quibusdam liturgiis omittuntur, neque

referuntur a S. Paulo (1 Cor. XI, 25), qui tamen supponendus non est formam invalidam conscripsisse. Videsis Lugo, l. c. n. 61 seqq. In praxi certe graviter peccaret qui ea addere omitteret, et, si tantum prima verba dixisset, integram formam sub condicione repetere deberet. (S. Alph. n. 223) (1)

III. Verba consecratoria non tantum *recitative* seu *materialiter* dicenda sunt, sed etiam *significative* seu *formaliter*. Scil. non sufficit historice referre quid Christus dixerit, sed insuper oportet ut ea verba proferens intendat affirmare quod verba sonant, nempe hoc esse reapse corpus et sanguinem Christi. Manifestum est talem intentionem haberi ab omni sacerdote qui consecrare intendat. Quaestionem hanc speculativam magis quam practicam subtiliter explicat Lugo. (l. c. sect. 5)

177. IV. Valida sed graviter illicita esset consecratio si in forma aliquid adderetur vel mutaretur quod sensum substantialiter integrum relinqueret, ex. gr. *Hic cibus est corpus meum.* — *Hoc meum est corpus.* Cfr. 1. Cor. XI, 24 ubi textus graecus eundem ordinem refert. — *Hoc est sanguis meus.* (Bus. ap. S. Alph. n. 221)

Nihil igitur repetere debent qui inculpabiliter, ob linguae lapsum vel vitium, levem immutationem formae inferant, dicendo ex. gr. *colpus, calis, es*, pro *corpus, calix, est*, vel *hic est corpus meum*. Nam sufficit ut verba ingerant sensum a Christo intentum: quod fit, e communi hominum acceptione, etiamsi cum hujusmodi vitio proferantur. (S. Alph. n. 224) Cfr. n. 110.

V. Invalida esset consecratio si talis fieret imminutio vel immutatio ut verba idem jam non significarent (Rubr. Miss. tit. V), ex. gr. *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum; illud est corpus meum; hoc est corpus Christi*, etc. — Similiter si omitteretur verbum *est*, dicendo tantum: "*Hoc corpus meum.*" Nam, licet τὸ *est* ex aliis verbis adjunctis quandoque satis intellegatur, tamen hic non habentur alia adjuncta, quae denotent verbum istud subaudiri.

VI. Dubia esset consecratio in multis mutationibus, quarum duo tantum exempla afferre juvat. 1° *Hoc corpus est meum*, invalidum est, juxta S. Alph. (n. 224), quia non significat transsubstantiationem panis in corpus Christi; validum est, juxta Ball. P. (n. 73), dummodo *corpus*

(1) Quidam AA. ut Lehmk. (II. n. 129), Gury (Casus, II. n. 260), negant obligationem repetendi, eo quod consecratio sit moraliter certo valida: quae tamen conclusio, ob dissensum gravium DD., minus recta videtur.

intentione loquentis ponatur ex parte praedicati, siquidem eundem prorsus sensum fundit ac forma consueta. — 2^o *Istud est corpus meum*, ex una parte videtur invalidum, quia pronomen *istud* non designat rem praesentem loquenti; ex altera parte videtur validum, quia idem pronomen saepe pro *hoc* ab optimis scriptoribus adhibetur. (Ball. P. n. 74)

VII. Juvabit prae oculis habere quae dilucide Rubricae Miss. (de def. V) praescribuntur: " Si celebrans *non recordetur* se dixisse ea quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen *certo ei constet* se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti..., resumat ipsam formam et cetera prosequatur per ordinem. Si vero *valde probabiliter dubitat* se aliquid essentialia omisisse, iteret formam, saltem sub tacita condicione. Si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. „ Ut tamen liceat, saltem ad animi pacem, iterare formam eucharisticam, videtur sufficere dubium non prorsus inane. (D'Annib. III. n. 268)

§. 4. QUAMDIU CHRISTUS MANEAT IN EUCHARISTIA.

178. I. Christus totus manet praesens sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta. (Trid. Sess. 13. can. 3) Quare omnes particulae etiam minimae, quae percipiuntur, tractandae sunt ut consecratae.

Insuper communis sententia Theol. (Lugo, de Euch. disp. 4. n. 108 seqq.) tenet Christum manere praesentem in particula etiam tenuissima: quia quaelibet manet sensibilis, saltem sub condicione quod cum aliis jungatur, et servat eandem naturam panis vel vini. Id tamen ad meram theoriam pertinet et ab opinione philosophica de corporum divisibilitate in infinitum pendet. Quare nihil certi de hac re dici posse fatetur Laymann. (l. 5. tr. 4. c. 2. n. 11)

II. Permixtio vini consecrati cum alio liquore quocumque, juxta S. Th. (3. q. 77. a. 8), tollit praesentiam Christi si quantitas permixta perlingit ad totum vinum consecratum; si vero admiscetur quantitas tam parva ut non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia. Juxta alios, ut Lugo (disp. 10. n. 41), admixto alio vino, non deperditur consecratio, nisi tanta sit vini admixti diversitas ut sufficiat ad destruendam substantiam vini consecrati. Sed omnino dubium videtur sola mixtione cum alio vino substantialiter corrumpi

vinum consecratum, quamvis utrumque ab invicem discerni jam non possit. Nulla ergo solutio certa dari potest. Ceterum etiam haec quaestio fere ad solam theoriam spectat.

179. III. Christus desinit esse sub speciebus cum ad eum gradum corruptionis perveniunt ut non sint aptae continere substantia panis nec vini: tunc enim per miraculum Christo succedit ea substantia quae, in iisdem adjunctis, panis et vino corruptis succederet. Non desinit vero Christus esse sub speciebus, nisi in iis casibus in quibus desineret substantia panis et vini cujus loco subrogatus est; ac proinde manet praesens, etiamsi sacrae species comedantur a bruto, in locum sordidum projiciantur, etc. (Lugo, l. c. n. 36) Quare damnatae sunt a Gregorio XI (anno 1371) tres propositiones quibus Joannes de Latone asserebat redire substantiam panis si hostia consecrata projiciatur in locum turpem, a mure corrodatur vel communicantis dentibus teratur. (Denz. n. 471 seqq.) Reliquae autem substantiae tum physice, tum chemice haud secus agunt in species consecratas ac si in panem et vinum verum agerent.

IV. Nulla regula generali determinari potest quanto tempore Christus maneat praesens in homine qui S. Communionem accepit. Etenim, si audimus medicos qui hoc argumentum non a priori (quod in quaestione facti absonum est) (1), sed experimentis investigare conati sunt, maxima varietas datur in tempore necessario cibis ope succi gastrici dissolvendis, non tantum prout stomachus sanus vel infirmus est, sed etiam pro variis condicionibus ejusdem stomachi seu vacui seu aliis cibis pleni, etc.

Illud tamen satis constat non tam brevi tempore quam multi vulgo opinantur sacras species, et imprimis speciem panis (de qua facilius quam de specie vini indagari potest), in stomacho corrumpi. Ita a veritate prorsus alienum videtur quod quidam recentiores asserunt (von Olfers, op. cit. p. 43), speciem panis semper in ore communicantis corrumpi, eo quod praecipua ejus pars, nempe amyllum, ope salivae in saccharum convertatur, species autem deglutiri nequeat antequam fuerit prorsus saturata saliva. Hoc verum esse posset tantum si quis diu s. Hostiam in ore servans saepius salivam renovaret et species variis motibus dissolvere conaretur. Neque exiguitas panis azymi in ecclesia latina usitati celerem illius assimilationem probat. Nam qui hoc argumentum scientificè explorarunt, testantur saepe res valde exiguas plu-

(1) Veteres DD. (Lugo, disp. 10. n. 54) in errorem ducti sunt a medicis coaetaneis, qui quaestionem hanc solvebant nixi principio gratis conficto: stomachum singulis horis concoquere duas cibi uncias. Eorum igitur sententia hic prorsus posthabenda est.